

gione separetur, quamdiu religioni juste placuerit. Sicut sententia definitiva divortii perpetui non mutatur, etiamsi nocens cogatur redire ad petitionem innocentis, quia hæc ipsa conditio in sententia erat inclusa. Ad tertium respondetur, illud incommodum esse valde accidentarium et extrinsecum, quod sua culpa meruit talis religiosus. Adde præterea, minus malum esse illa impropria in religione sustinere, quam extra religionem perpetuo manere. Denique addo, si ille vere poenitens redeat, et vitam omnino aliorum ædificatione mutet, non esse cur timeat talia impropria vel incommoda; et ad obligationem Prælatorum religionis pertinebit illa impedire.

11. Ad quartum primo negatur consequentia et similitudo, nam degradatus non tenetur speciali voto ad obediendum et perseverandum in illo statu sicut religiosus. Item degradatus ad ea quæ sunt oneris tenetur, etiam perseverante degradatione, quia tenetur servare castitatem, et Horas canonicas recitare; reliqua vero sunt magis honoris et utilitatis, quibus potest renuntiare; at religiosus ejectus excusatur pro tunc a multis oneribus religionis, quæ sustinere incipit cum redit, et ideo non debet liber manere omnino ab obligatione redeundi, alias commodum saltem temporale et humanum ex sua culpa reportaret. Secundo respondeo negando assumptum, quia degradatus realiter a nullo præter Romanum Pontificem potest ad pristinum statum seu dignitatem revocari; ab eodem autem potest præcipi et obligari, si oportuerit, ut ad talem statum redeat, eo prorsus modo quo sacerdos non degradatus cogi potest, ut convenienter suo statui vivat, ejusque munera exerceat. Nec enim justa poena liberavit reum ab hac obligatione, ut probant eum proportionem rationes factæ; nec adduci potest jus vel ratio in contrarium, quæ probet efficaciter Pontificem fuisse privatam hac potestate propter degradationem.

12. Ad quintum, ponderationes illorum auctorum, quas Navarrus affert, non multum nos movent, non solum quia jus et ratio plus movent, sed etiam quia parum fundamentum in eis habent; nam Bernardus, in positione casus dieti capitis ultimi, aperte dicit, utrosque, scilicet fugitivos et ejectos, reducendos esse ad claustrum; supponit ergo utrosque teneri ad reditum, quantum est ex se. Quod autem in fine dicitur, sicut fugitivi inobedientes extiterunt, etc., ubi videtur omittere ejectos, ut Navarrus ponderat, vel brevitatis

tantum causa fecisse credendum est, nec enim a textu ipso, in quo utrique in eadem clausula numerantur, dissensisse verisimile est; vel certe subtiliter judicavit, etiam ejectos, postquam incipiunt esse inobedientes quoad non redeundum contumaciter, incipere etiam esse fugitivos. Et eodem modo intelligendi sunt Abbas et alii Canonistæ, quos ibi citat, qui interdum de utrisque, interdum de fugitivis loquuntur.

13. In ultimo argumento petitur, an religio teneatur suscipere hos ejectos; ad quod dicendum fere est sicut supra de fugitivis. Posset ergo negari consequentia, quia non est æqualis ratio, cum religio sit innocens, et qui ejicitur sit nocens, et sua culpa mereatur privari omni bono religionis, licet religio jus suum integrum retineat, sicut exemplo matrimonii declaratum est. Unde secundo dicitur, in hoc spectandum esse jus religionis, nam si juxta propriam regulam potest propter certa, vel gravia crimina aliquos perpetuo ejicere sine obligatione amplius eos recipiendi, ipsa libera manebit, quamvis alter non omnino maneat liber. Nam a principio intelligitur pactum inter religiosum et talem religionem sub ea conditione initum, quod tacite approbatur in dicto cap. ult., dum dicitur, ejectos recipiendos esse, nisi regula obstet; quod non est injustum, quia jus religionis majus est, quia ejus bonum divinius, utpote communius, est; item quia, ut dicebam, religio est innocens, alter autem nocens, et pro eo casu, et non pro alio ponitur dicta conditio. De qua re plura in simili dicemus tractatu decimo de Societate.

14. *Quid jus commune statuerit de ejectis.*—Adduntur vero duo jure communi statuta in illo cap. ultimo. Unum est, quod ubi regula non obstiterit, ejecti recipiendi sunt in religione secundum regularem disciplinam, id est, sufficienter emendati et castigati, et exhibita cæteris religiosis sufficienti satisfactione. Secundum est, ubi secundum regulam recipi non possint ad communem vitam, recipiendos esse ad arctam aliquam custodiam, vel separatim vivendi modum prope monasterium, ut sub illius providentia, et expensis, ne in perniciem suarum animarum vagari cogantur. Nam quia hic status principaliter ordinatur ad salutem animæ, hujus major ratio habenda est, quam alicujus oneris, vel expensarum religionis. Unde colligo, juxta jus illud, nullum religiosum esse ita ejiciendum, ut libere vagari permittatur, quia si vagantes reducendi sunt juxta textum illum, nunquam

vagari permittendi sunt; ergo nec a principio sunt liberi permittendi, sed custodiendi eo modo quo in illo capite disponitur. Regulariter autem hoc non servatur, quia vel religiones non possunt sine magno suo detrimento hos custodire, vel quia religiones nova habent privilegia aut statuta a Pontificibus confirmata, quæ consulenda sunt.

*Quomodo recipiendus sit in eadem religione professus expulsus.*

15. *Debita potestas ad receptionem.*—Quæri autem potest ulterius, quando hujusmodi ejectus revertitur ad religionem, vel ipso petente et religione consentiente, vel e contrario religione cogente, et ipso non resistente, quomodo recipiendus sit. Respondeo imprimis requiri sufficientem potestatem in recipiente, quia est res gravissima, et pertinet ad gubernationem religionis, et ideo non potest privata auctoritate fieri, sed publica potestate religionis. Apud quem autem sit talis potestas, juxta varia instituta et regulas religionum respondendum est. Nihil enim video jure communi statutum, præter ea, quæ de receptione religiosorum tomo præcedenti diximus, et quod in dicto capite ultimo disponitur, ubi Abbates præcipiuntur hujusmodi ejectos recipere, si regula non resistat, vel aliquo modo eos custodire, ubi aliter juxta regulam recipi non possunt. Quod ergo ibi de Abbatibus dicitur, in aliis religionibus cum proportionem intelligendum est de Prælatibus ad quos hæc cura pertinet, vel solis, vel cum aliquorum consilio, juxta regulam.

16. *Nova professio in antiqua religione non requiritur.*—*Secus si ad aliam fiat reditus.*—Deinde respondeo non debere ejectum, cum recipitur, novam professionem emitte; cum enim supra, numero primo, dictum sit, hos non liberari per ejectionem a vinculo professionis et votorum solemnium, clarum est non indigere nova professione, sed solum revocatione prioris suspensionis, et actualis separationis a gremio religionis, ratione cujus erat quis impeditus ab actuali usu obedientiæ, et ab actuali unione cum tali corpore, postea vero restituitur ad talem unionem actualem per solam mutationem voluntatum, et mutuum consensum in actualem usum (ut sic dicam), non in vinculum. Sicut in exemplo supra posito, in n. 9, de matrimonio, cum illi, qui perpetuo divortio erant se juncti, per novum voluntarium consensum iterum conjunguntur, non contrahunt matrimonium, quia non

est novum vinculum, sed novus usus ejus. Unde non solum non est necessaria nova professio, verum nec proprie videtur possibilis, quia professio valida, et eadem omnino non est multiplicabilis in eadem persona, licet ad majorem devotionem possit exterius renovari. Dixi autem *eadem omnino*, quia si in alia diversa religione ille ejectus reciperetur, deberet in ea denno profiteri, quia nunquam se illi tradidit, nec votum obedientiæ ibi fecit, et ita est professio quodammodo specie diversa, eo modo quo instituta distinctarum religionum moraliter diversa sunt. Similiter, si religio esset ex his monachalibus, in quibus unusquisque in sua domo speciali profitetur, tunc ejectus ab una domo, si in aliam ejusdem religionis reciperetur, deberet in illa profiteri, ut esset filius illius domus, nam hoc necessarium esset etiamsi ejectio non intercederet, sed immediatus transitus ab una domo in aliam. Ut autem iterum recipiatur in eadem religionem absolute, non indiget nova professione, sed externa acceptatione habentis potestatem, nam hoc ipso manet actualiter subjectus, sicut antea erat.

17. *An ejectus receptus gaudeat antiquis præeminentiis.*—*Judicium auctoris.*—Interrogari autem potest ulterius circa hoc punctum, an recipiendus sit talis ejectus in eodem gradu antiquitatis professionis, quoad locum sedendi, ferendi suffragium, et alias prærogativas ad quas professionis antiquitas necessaria est, juxta varios usus religionum. Quidam enim affirmant, alii partem negantem absolute docent; mihi autem videtur neutrum esse simpliciter necessarium, sed arbitrio prudenti recipientium committendum esse. Regulariter autem loquendo, ille qui ejici meruit, consequenter videtur amisisse jus ad suæ professionis gradum, et ideo merito recipi posse in novissimo loco. Item, ratione prioris delicti, dignus est hac privatione in poenam, nam si dignus fuit ejectione, multo magis hac privatione, et licet ei, dum iterum recipitur, ex parte remittatur poena, nihilominus non est necesse ut omnino remittatur, quoad hanc conditionem accidentalem. Sed, licet hoc regulare sit, nihilominus talis esse posset conditio personæ, tantaque poenitentia et emendatio, ut censeatur dignus majori remissione, et ideo juste possit vel ad pristinum gradum, vel ad medietatem alium recipi. Imo aliquando id expediet ad bonum religionis, ut alii ejecti ad poenitentiam agendam animentur.

*Ad quid teneatur religiosus expulsus, si in suam religionem non recipiatur.*

18. *Primum pronuntiatum in hoc tertio puncto, posse ejectum ingredi aliam religionem.—Non tamen laxiorem.*—Tertio vero quæritur, quid teneatur facere ejectus quoad statum suum, si in sua religione non recipiatur, an scilicet, teneatur aliam ingredi religionem vel possit libere in seculo manere. Nam Bonaventura, d. q. 14 super regulam, sensit, teneri aliam religionem ingredi, quod sequitur Corduba, diet. q. 21, in cap. 2 suæ regulæ, prope finem. Dicendum autem est primo, religiosum semel ejectum posse libere aliam religionem ingredi, si velit, quod est manifestum, si prius diligentiam aliquam adhibuit ut in sua religione reciperetur, nec potuit obtinere, ut a fortiori patebit ex dicendis; verum tamen absolute id verum existimo, posse, scilicet, statim ac eiecitur, nulla alia expectata licentia, vel diligentia præmissa, aliam religionem ingredi, si strictior vel saltem æqualis sit, quia tunc nec suæ religioni faciet injuriam, cum ipsa eum expulerit, nec statui religioso ut sic, cum æqualem accipiat. De transitu vero ad laxiorem, dubitari potest, quia talis religiosus ex vi professionis tenetur permanere, quantum in se est, in statu tantæ perfectionis; ergo donec per illum stat quominus in illo permaneat, non potest libere ad laxiorem transire. Confirmatur, quia non potest libere manere in seculo, quandiu ipse est in causa, ut sit a religione ejectus, et ideo tenetur tollere impedimentum, et se ostendere paratum ad reditum, ut supra, a numero sexto, dixi. Ergo eadem ratione, in eodem casu et cum eadem proportione minuere (ut sic dicam) statum perfectionis, quem professus est, donec per ipsum non stet quominus in priori statu maneat. Tandem confirmatur, quia Innocentius IV concessit Minoribus, ut refertur in lib. Monumenta Ordinis, concess. centesima sexagesima secunda, ut semel ejecti possent libere ad aliam religionem transire, exceptis militaribus; ergo signum est, hoc per se non esse licitum propria auctoritate, saltem quantum ad religionem laxiorem. Alioquin non fuisset necessaria specialis concessio, nec debuissent excipi religiones militares, nam illæ veræ religiones sunt, esto sint laxiores. Et hæc pars mihi probatur.

19. *Aliorum placitum et fundamentum.*—Non desunt tamen quibus videatur in eo casu posse religiosum sic ejectum statim transire

ad religionem laxiorem, si velit, quia in ea salvatur substantia status religiosi; ad modum autem seu austeritatem ejus, ille non se obligavit absolute, sed solum in ea religione, quam professus est; ab illa autem jam est ejectus in perpetuum, ut supponitur; ergo eo ipso manet liber ab illo speciali vinculo. Sed hæc ratio solum probat hoc licere post factam diligentiam, ita ut per religiosum non stet quominus in priori austeritate perseveret, nam ex sua culpa non debet commodum et libertatem ab obligatione arctioris religionis comparare; ergo, donec emendatus a culpa, ostendat se paratum ad illam obligationem implendam, et per illum non stet, non potest ei talis libertas concedi. Quamvis autem ex natura rei hoc ita esse videatur, ex dicta concessione Innocentii id licebit cum limitationibus in ea positis. Quia ex dispensatione Pontificis licitum est ad laxiorem religionem transire; illa autem concessio continere videtur in hac parte generalem dispensationem, quæ potuit habere justam causam ad evitanda majora mala. Limitationes autem sunt, prima, ut non fiat transitus ad religionem militarem, quoad milites arma portantes, nam quoad clericos vel monachos qui in eis religionibus spiritualem vitam profitentur, non videtur id prohibitum. Alia limitatio est, ut sic ejecti deferant litteras testimoniales Provincialis vel Generalis sui ordinis, et aliter recipi non possint absque licentia speciali Sedis Apostolicæ. Et quantum ex verbis concessionis colligitur, si hæc forma receptionis non servetur, professio erit invalida, non minus quam si alius non ejectus reciperetur. Ultima limitatio est, quod hæc concessio specialiter facta est Minoribus, et ideo solum alii, qui cum illis in privilegiis communicant, illa uti poterunt.

20. *Secundum pronuntiatum, ejectum non obligari ad transitum illum.*—Secundo dicendum est, religiosum ejectum nunquam teneri ad aliam religionem transire, sed posse in seculo libere manere, postquam jam emendatus repulsus est, licet se sufficienter ostenderit paratum ad reditum; ita tenet Soto supra, et a fortiori Navarrus, Sylvester, et alii citati. Et probatur, quia ille sic professus non se obligavit alteri religioni: et per illum jam non stat quominus in ea vivat, ut supponitur; ergo non tenetur alteram ingredi, quia in his, quæ ad consilia pertinent, nemo tenetur nisi ad id quod voto se obligavit. Sicut qui promisit ingredi determinatam religionem, si in ea non recipiatur, non tenetur aliam quærere,

quia ad illam solam se obligavit; sed similiter per professionem in hac religione, solum illi ejusque regulæ se obligavit; ergo si ab ea repellitur, non tenetur aliam quærere. Dices, esto ipse ex vi votorum non teneatur, posse a Prælato religionis cogi et obligari, ut ad arctiorem religionem transeat in pœnam delictorum. Respondeo, etiam hoc modo non posse simpliciter obligari, ut docet Navarrus, cons. 77, de Regularibus, quod ipse probat, quia postquam ejectus est, non est subditus; ergo non tenetur parere, quia extra territorium jus dicenti impune non paretur. Sed contra, quia potest religio non prius hunc ejicere, sed immediate condemnare ut transeat ad religionem arctiorem. Item quia in pœnam delicti prius commissi, potest illum obligare, ut post ejectionem jejundet, vel sit relegatus a tali civitate, sicut potest ad triremes condemnare. Ratio ergo est, quia nemo potest ad statum religiosum obligari (etiam in pœnam delicti), si illum non vovit; eadem ergo ratione non potest cogi ad arctiorem religionem absolute; poterit tamen sub conditione vel disjunctione obligari, ut vel transeat ad aliam, vel maneat in perpetuo carcere, aut ad triremes eat, supposito delicto digno tali pœna.

21. Dices: ergo saltem si prius ante professionem in ea religione factam vovisset absolute religionem, teneretur postea ejectus, ex vi prioris voti, repulsus a tali religione aliam quærere. Respondetur ita sentire Sotum, neque id esse directe contra nostram assertionem, in qua solum consideramus obligationem per se et ex vi professionis. Respondemus tamen secundo negando consequentiam; probabilius enim nobis videtur, etiam in eo casu non obligari religiosum ejectum, et omnino repulsam, aliam religionem ingredi, ex duobus capitibus: unum est, quia prius votum simplex, etiamsi de religione absolute fuerit, jam satis fuit completum, et ideo amplius non obligat. Sicut qui bona fide ingressus est unam religionem, ut probaret illam, et ante professionem licite dimittit habitum, non tenetur aliam ingredi, quia implevit votum, ut supra dictum est; ergo a fortiori, etc. Aliud caput est, quia prius votum per priorem professionem prorsus fuit extinctum. Imo addo, licet prius votum fuisset de particulari religione strictiori, ita ut ille peccaverit laxiorem ingrediendo, et in ea profitendo, nihilominus postea ab hac ejectus, jam non teneatur alteram, quam voverat, vel aliam æqualem aut inæqualem ingredi, quia votum illud

simplex omnino extinctum fuit per talem professionem, ut definit Pontifex in c. *Qui post votum*, de Regularibus, in 6; et resolvit D. Thomas 2. 2, q. 188, art. 8, ad 3; et ibi Cajetanus, et a nobis est in superioribus declaratum.

## CAPUT VI.

AD QUID OBLIGETUR RELIGIOSUS EXPULSUS, LICITE ET LIBERE IN SEculo PERMANENS.

1. *Resolutio quoad obligationem castitatis.*—Jam vero de hoc religioso ejecto, et in seculo licite permanente, multa occurrunt circa obligationem honestumque modum vivendi ejus; certum est enim in eo manere vincula professionis, et trium votorum, ut ostendimus; in usu ergo illorum, et in actualibus obligationibus, quæ ex illis nasci possunt in tali statu, est tota hujus rei difficultas. Quæ in voto castitatis nulla est, nam observantia ejus non pendet ab aliquo Prælato, nec ab speciali vivendi modo, et ideo ubique servari potest et debet integre. Igitur de voto obedientiæ est dubitatio, cui tenetur ille religiosus actu obedire, quia videtur nemini teneri ex vi voti, sed solum ex vi communium legum, aut præceptorum. Quod si ita est, ad nullum usum obedientiæ religiosæ tenebitur, et consequenter nec ad usum paupertatis, quia hic intelligi non potest sine ordine ad aliquem Prælatum religiosum, quia votum paupertatis involvit ex parte materiæ ordinem ad aliquem Prælatum, qui possit licentiam dare utendi temporalibus bonis, ut supra dictum est, et consequenter nec ad alia onera religionis omnino tenebitur; quæ omnia videntur incommoda, quia illa persona ex vi sui status semper manet obligata ad statum perfectionis; ergo necesse est ut ad aliquem usum ejus maneat obligata.

*De obligatione quoad votum obedientiæ.*

2. *Navarri sententia.*—Primo ergo circa obedientiæ votum est sententia Navarri, religiosum sic ejectum teneri ad obediendum Episcopo, non tantum ut alii fideles vel clerici tenentur ratione suæ jurisdictionis, sed specialiter, ratione voti obedientiæ, atque adeo in his, quæ ad perfectionem aliquo modo pertinent, secundum modum illi rationi vivendi proportionatum. Ita habet in Comment. 2 de Regularibus, n. 33, et Comment. 3, n. 46. Et inde refert teneri ejus-